



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

III. Religio Christiana Paderbornâ manavit in universam Westphaliam.  
Bonae litterae in Westphalia ab initio comitatae religionem Christianam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

pietiaꝝ cultoribus non sit ornamento. Jam verò inter Westphaliæ Antistites Paderbornensem obtinere longè principem dignitatis gradum, nemo est qui ignoret, nisi qui in ratione Conciliorum Ecclesiasticorum, Conventuumque Imperialium, & omnis memoria vetustatis rudis sit, atque peregrinus. Et erit quispiam qui miretur, in ea Urbe constitui primam Westphaliæ Academiam, in qua tot sæculis sit Ecclesia Cathedralis, cui cætera & antiquitate, & opibus, & provinciarum amplitudine, clientelisque florentes non dubitent de honore concedere.

## CAPUT III.

*Religio Christiana Paderbornâ manavit in universam Westphaliam. Bonæ litteræ in Westphalia ab initio committatæ religionem Christianam.*

*Ann.  
Franco-  
rum, Regi-  
no, alii,  
anno Do-  
min. 777.  
Apud Go-  
belin. in  
Cosmod.  
at. 6. c. 38.*

**D**Einde cui dubium est, quin Christiana religio Paderbornâ, velut à capite, in universam Westphaliam permanarit? Etenim gente universâ à Carolo Magno perdomitâ hîc prima Synodus est habita, in qua primoribus, magnâque populi multitudine baptismo lustratâ, salutare primùm rogatæ leges, & jura sancita sunt. Itaque vir eruditus, & pius, qui Arnulfi Cæsaris ætate studiis litterarum, & sanctimoniam florebatur, pulchrâ sanè imagine, Paderbornam eum locum esse scripsit, ubi duri ad eam diem, atque instar filicis indomiti Saxonum animi, ferro D. Caroli icti, tandem in scintillam Christianæ fidei emicuerint. quæ scintilla in immensum postea crescens incendium, non Saxones modò omnes, sed Vandalos quoque, aliasque remotissimas gentes corripuerit. Unde idem existimavit Paderbornensi Ecclesiæ rubram crucem pro insigni relictam esse, quòd in ea primùm Saxones, & Westphali cruentis Caroli præliis compulsi, sub hoc CHRISTI signo militare cœpissent. Quid tum postea? dicet quispiam. sit sanè Westphaliæ Religio primùm nata Pa-



ta Paderbornæ. num ideo Academia insignibus una digna est? non equidem id nunc pugno: sed tamen æquum esse censeo, ut qua ex Urbe tota olim Westphalia hausit Religionis initia, in ea ne ægrè ferat domicilium construi, unde omnium, quæ quidem religioni ancillentur, artium ratio petatur. Equidem ipsas artes existimo, si rogarentur qua in Urbe Westphaliæ certam sibi sedem figi vellent, non aliam delecturas, atq; earum, quam Religio, unde in omnes plagas se latè diffunderet, primam optasset. Etenim illæ postquam unà cum Religione inde ab ultima Britanniâ in has oras navigarunt, omniumq; fuerunt ejus periculorum participes, tandem in hac Urbe unà cum illa primum stabile domicilium collocarunt. Constat enim sanctissimos illos viros, qui ex eadem prognati Saxonum gente, in Britanniâ, missam sibi Româ & fidei, & doctrinarum lucem hauserant, nequiquam comisisse, ut cognati Saxoniarum & Westphaliarum populi alterutram ad se non importatam esse jure queri possent. Sic enim viderant à suis illis in Britanniâ præstantissimis magistris usurpari, ut arctissima semper retineretur inter Religionem, Doctrinamque concordia. Cujus instituti præcipuam sibi laudem vendicat Theodorus Archiepiscopus Dorovernensis, qui natus Tharsi urbe Ciliciæ, à Vitaliano Papa initiatus, in Britanniâ venit anno CHRISTI DCLXVIII. Is cum sacris profanisque litteris esset insigniter eruditus, haberetque suorum laborum socium, atque comitem Adrianum Abbatem natione Afrum, virum item doctissimum, mirificum studiorum ardorem in Britanniâ omnium animis iniecit. Audi enim quid de utroque narret venerabilis Beda. *Quia, inquit, litteris sacris, simul & secularibus, ut diximus, abundanter ambo erant instructi, congregatâ discipulorum catervâ, scientiæ salutaris quotidie flumina, irrigandis eorum cordibus emanabant, ita ut etiam metricæ artis, Astronomicæ, & Arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam, inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod usque hodie super sunt de eorum discipulis, qui Latinam Græcamque linguam æquè ac propriam, in qua nati sunt, norunt.*

Beda lib.  
4. hist. eccl.

Lib. 4.  
hist. Eccl.  
Angl. c. 2.



runt. Neque unquam prorsus ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora, dum & fortissimos Christianosque habentes Reges. cunctis barbaris nationibus essent terrori, & omnium vota ad nuper audita cœlestis regni gaudia penderent, & quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros qui docerent. Delectat me fateor, Princeps Illustrissime, hæc sanctissimi, & eruditissimi Theodori memoria, vel eò, quòd te jusdem auspiciatissimi nominis Præsulem, sentiam eandem temporum felicitatem Westphaliæ conciliare conari. Quid enim aliud agis, quid moliris, nisi ut Respub. pacis otio, & tranquillitate aliquando redita, omni divinæ humanæque sapientiæ ubertate perfruatur? Hujus è Theodori ludo prodierunt viri illi sanctissimi Bonifacius, Suibertus, Ewaldi & alii, qui paullò post ejus excessum, ut hanc, vicinasque terras CHRISTO subjungerent, indè sunt profecti. Non enim illi solam religionis, verùm etiam omnis liberalis doctrinæ lucem se afferre profitebantur. Sed nimirum diu nimium nostrates utramque sunt aspernati: diu frustra stabilem in Westphalia sedem, & domicilium quæsierunt. Siquidem inter assiduos fremitus armorum, & rebellium bacchationes nusquam tutò templa, nusquam Scholæ ponebantur. Interea extra Westphalam, qui è media patriæ jactatione eripi poterant, sub idoneis magistris Westphali adolescentibus Christianis moribus, & doctrinis utcumque tingebantur. Nam Trajecti ludus erat, quem D. Gregorius regebat, D. Bonifacii Martyris auditor. In eo S. Ludgerus, qui deinde primus Monasterii Antistes fuit, erudiebatur, & unà cum eo, ut ipse loquitur, *quidam de novella Dei plantatione diebus nostris inchoata Fresonum & Saxonum*. Wirceburgi quoque D. Caroli voluntate duodecim nobilissimi adolescentibus, D. Burckardi præceptis imbuebantur, è quibus duo primi Paderbornensis Ecclesiæ Præsules sunt delecti. Quid quòd ejusdem Imperatoris instituto Romæ ejusdem gentis quasi quoddam seminarium fuit, quod Schola Saxonum dicebatur, non longè ab æde S. Petri, ut in ipsa quasi Catholica Religio.

S. Ludgerus in commentariis de SS. Bonifacio, & Gregorio. Vide Baron, in Mart. ad 20. Nov.



ligionis arce unâ pietatem litterasque condiscerent? At verò postquam Magni Caroli invictâ virtute in Paderbornensi Synodo totius Westphaliæ consensu CHRISTI fides suscepta est, noluit illa sine comitatu bonarum artium ac disciplinarum, quas constantissimas adversis suis rebus comites habuerat, patefactos jam sibi Westphaliæ fines ingredi. Idem igitur dies, eadem Synodus, eadem Paderborna omnium quæ deinde in Westphalia extiterunt, & templorum & Scholarum, uno eodemque decreto fundamenta posuit. Parne erat eam ejus boni expertem remanere, cujus ipsa cæteris urbibus ac terris tamdiu frustra expetitam facultatem obtulerat? Potestne illa indigna videri, quæ omnium disciplinarum honestarum vocibus personet, in qua primùm illa vox audita est consentientis conspirantisque Westphaliæ, ut armis positis, abjectâ impietate, exturbatâ barbariâ, pax, religio, humanitas, & humanitatis parentes bonæ literæ colerentur?

## CAPUT IV.

*Olim quoque & inferiores & sublimiores  
doctrinæ Paderbornæ flo-  
ruerunt.*

Vide, Princeps Illustrissime, quæ mens fuerit majorum tuorum, gravissimorum hujus Urbis Antistitum, quibus non mediocri studio fuit, in ea omnium artium studia nutrire, quibus salutaris fides propagatur atque defenditur. Intelligebant enim Westphalis usuvenisse, quod alicubi confirmat Augustinus: *Multis, inquit, profuit (quod experimentis probavimus, & probamus) prius timore vel dolore cogi, ut postea possint doceri.* Igitur quo in loco, terrore armorum fortissimi Imperatoris compulsâ Westphalia, Christiana sacra susceperat, in eo providendum sibi putarunt, ne unquam deessent magistri exercitationesque doctrinarum. Quæ tamen nullo fere tempore omninò jacuerunt, fuit tamen cum eo ardore celebrarentur, ut, præter hodiernum Academiæ

*Ep. 20. ad  
Bonif.*

f

nomen,